

# TABVLA PRO POSITIONVM DE PROPORTIONIBVS.

- I. **P**ROPORTIONEM in proportionem duci, est superiores numeros atq; inferiores inuicem ducere. pagina 6
- II. Proportio extremorum producitur ex intermedijs. 7
- III. Si proportio ex duabus proportionibus in quatuor terminis producat, ipsa uero proportio inter duas alias quantitates fuerit constituta: consurgent trecenti sexaginta modi productionis proportionis. 7
- IIII. Si fuerit proportio primi ad secundum, producta ex proportionibus tertij ad quartum, & quinti ad sextum, producet etiam ex proportione tertij ad sextum, & quinti ad quartum. 8
- V. Si fuerit proportio primi ad secundum, producta ex proportione tertij ad quartum, & quinti ad sextum: erit proportio tertij ad sextum, producta ex proportionibus primi ad secundum, & quarti ad quintum. 8
- VI. Ex trecentis sexaginta modis producendarum proportionum triginta sex tantum esse necessarios. 9
- VII. In modis qui necessario producuntur ex duabus proportionibus, cum duae quantitates ex illis quae modos conficiunt, aequales fuerint: proportio producta ad quatuor quantitates omniologas reducetur. 10
- VIII. Si duarum proportionum superiores numeri alternatim cum inferioribus multiplicentur atq; coniungantur, erit proportio aggregati ad productum ex inferioribus inuicem proportio, ex primis proportionibus composita. 11
- IX. Si duarum proportionum superiores numeri alternatim cum inferioribus multiplicentur, minusq; productum ex maiore detrahatur, erit residui ad productum ex inferioribus proportio uelut illa, quae relinquitur detracta minore proportione ex maiore. 11
- X. Si fuerit alicuius quantitatis ad unam partem proportio, uelut alterius partis ad secundam quantitatem, erit proportio cuiusuis quantitatis eiusdem generis ad secundam composita proportio, ex proportionibus eiusdem quantitatis, assumptae ad utranque partem primae quantitatis seorsum. 11
- XI. Proportio aggregati quarumlibet duarum quantitatum ad aggregatum duarum aequalium quantitatum est, composita ex proportionibus primis, & diuisa per duplam. 12
- XII. Propositis duabus proportionibus unam alteri iungere absq; multiplicatione. 12
- XIII. Proportio confusa aggregata primae & tertiae quatuor quantitatum omniologarum ad aggregatum secundae & quarte, est uelut composita ex eisdem diuisa per duplam. 13
- XIIII. Proportiones confuse & coniunctae in tribus quantitibus inuicem commutantur. 13
- XV. Si fuerint quatuor quantitates proportio confusa, aggregati primae & tertiae, ad aggregatum secundae & quarte, erit ut monadis addito prouentu, qui fit diuisa differentia, differentiarum primae & secundae, atq; quarte & tertiae, per aggregatum tertiae & quarte ad ipsam monadem. 14
- XVI. Omnium quatuor quantitatum proposita prima, quae non minorem habet proportionem ad suam correspondentem quam alia ad aliam, erit proportio confusa illarum, ut pro-